



## **Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas**

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]  
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum  
tractatione.

Jn Omnes Totivs Anni Dominicas Æstivas, à Festo Pentecostes vsque ad  
Aduentum

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Dominica Prima Post Pentecosten.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56306)

mirabiles. O natura indiuisibilis! persona distincta & aeterna! obiectum felicitatis nostrae, spei nostrae causa; in te credimus, nullum praeter te numen agnoscimus, nullum nisi te adoramus, tibi cor simul & animam offerimus. Pater omnipotens, Filius omnisciens, Spiritus totus benignus, vnus in tribus personis Deus. nostri miserere, delecta nobis ignosce gratiam elargire, & praesta, vt postquam te sub inuolucris, aenigmatibus & caliginosa fidei nocte in hoc mundo adorauerimus, in claritate meridiana, facie ad faciem in altero te videre mereamur, ad quem nos Pater & Filius & Spiritus sanctus, sanctissima illa vnitritas deducant, Amen.

*Hanc I. Dom. more Germ. De diuine Epulone reperiet Lector in Quadrag. Fer. 5. post Dom. II. f. 323.*

### DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Partitio.

- I. De excellentia misericordiae d. s. s. s.
- II. De vi & efficacia eiusdem.
- III. De incentiuo ad eam.
- IV. De iudicio temerario.
- V. De iniuria remittendis.

*Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est. Luc. 6.*

FIGVRA.

Gen. 2.

**L**Egimus in Genesi, infinitum illum mundi opificem, & omnipotentem rerum omnium conditorem Deum magna illa & vere admirabili die, qua cuncta e nihilo condidit, atque in hunc mundum velut in scenam produxit, quo aeternam aeterni sui nominis in perpetuas aeternitates memoriam, ac luculentum aliquod manuum suarum opus in terra reliqueret; hominem ad imaginem & similitudinem suam condidisse: vt nimirum archetypo ipso ac genuino, diuinitatis exemplari in caelis permanente, figura eius atque imago, humanitati nostrae in sculpra, hic in terris collocaretur. Non satis de-

inde amanti illi in Canticis sponso fuit, imaginem suam a dilecta cordi inclusam gestari; at voluit, quo magis illa suam dilectionem manifestaret, vt eam ipsam poneret velut *signaculum super brachium suum*. O mysteria, & figuras! Primum profecto illud creationis opus & vehemens Amantis huius dilectio non alio respexerunt, quam vt homo viso ad imaginem & similitudinem Dei se conditum esse, quemadmodum natura & originem, ita & operibus eum quam proxime imitaretur: vt item anima, quae illius sponsa est, duplicem imaginem eius in se complecteretur; vnam quidem intrinsecus in animo qua perfecte eum diligit, alteram vero super brachium (per quod actiones designantur humanae) qua in omnibus suis eum operibus quam proxime imitetur ac referat. Ita vt, quemadmodum ipse Deus totius consolationis & pater misericordiarum est; nos, qui creaturae & opus manuum eius sumus, in proximum etiam misericordes simus; quemadmodum iustus & verax in omnibus iudiciis suis, eandem nos iustitiam ac veritatem imitemur; quemadmodum in diuitendo facilis, iniuriarumque in se admissarum statim obliuiscitur; nos cum inimicis nostris in gratiam quamprimum redeamus. Docet nos hoc hodiernae diei Euangelium, quod in eo potissimum versatur, vt nos misericordiam, iniuriarum obliuionem, liuoris atque maleuolentiae fugam doceat, quod & ipse hac concione pro vrbibus docere conabor. Quod vt pro dignitate fiat, & ambo officio fungamur, vos in audiendo, ego in docendo; vnae nimirum suffragio Spiritus sancti gratiam, idque auxilio intercessionis gloriosissimae Virginis Mariae, quam proinde conuicta saluatione compellabimus, inuocemus.

AVE MARIA.

Magnum illud Episcoporum decus, antiquitatisque archiuum Isidorus, qui ab hinc mille circiter annis, Imp. Heraclii temporibus in Ecclesia floruit, in Etymologico suo disquirens quidnam esset Misericordia, in hunc tandem modum eam definiuit: *Misericors à compatiendo aliena miseria vocabulum. Etym. sortitus est: & hinc appellatur miseria, quod miserum.*

*miserum cor faciat dolentis alienam miseriam.*  
Ioannes Damascenus eadem de re agens, ait  
misericordiam, piam quamdam esse ex ma-  
lis alterius tristitiam, aut potius virtutem,  
quæ nobis dolorem ingerat ex eo quod nos  
in mundi huius mari nauigante prosperita-  
tis tranquillitas; Zephyro, ceteris aduer-  
sitatis turbine agitatis, utamur.

In scholis vero Theologicis misericor-  
dia appellatur virtus, qua quis alterius ma-  
lis condoleret, proximi que miseris non secus  
ac propriis tristatur, omnique ratione ei-  
dem succurrere & auxiliari contendit. Adeo  
vt misericordia nihil sit aliud quam qua-  
dam cordis miseria, vel, vt Augustinus, &  
cum eo D. Thom. asserunt, *Misericordia est  
aliena miseria in nostro corde compassio.* Vnde  
colligere est, misericordiam, in quantum cordis  
compassionem, tristitiamque animi in malis  
alterius significat, in Deo non reperiri; hæc  
enim in Deum cadere nequeunt, quamuis  
afflictorum leuamen miserorumque restitutio  
ipsi quotidiana sint, qui nimirum omniis  
loco & tempore succurrunt. At in homine hæc  
semper & ubiq; locum habere certissimum  
est, tum in eo quod malis alterius condole-  
at ac eorum stetur, tum vero quod pro viri-  
bus eidem succurrere satagat.

Cum igitur in homine diuina hæc virtus  
cadere possit, omnes nos eandem exercere  
diuina maiestas voluit; vtq; omnibus illius  
amorem ingereret, plurimis in sacra feri-  
ptura locis eandem commendauit. Imprimis  
in Ecclesiastico ait Spiritus sanctus, *Oleum  
de capite tuo non deficiat.* quod Eusebius  
Emislenus exponens, per Oleum hic desi-  
gnari putat Misericordiam, nam vt oleum  
ceteris liquoribus supernaturat, ita & miseri-  
cordia inter ceteras virtutes caput effert, se-  
seque extollit. Ipsa siquidem in regno spiri-  
tuali est regina, eamque virtutes omnes velut  
principem ac dominam venerantur. Vult au-  
tem hoc oleum perpetuum esse, vt homini-  
bus auctor & suator sit, semper vt opera mi-  
sericordiae exerceant, quibus nihil diuina  
maiestati reperiri potest aut gratius aut iu-  
cundius. Nam sicut inter ceteras creaturas  
hominem diligit, eo quod nulla sibi sit simi-  
lior, diuinamque imaginem quam proxime

imitetur; ita præ ceteris hominibus fouet  
ac complectitur illos, qui misericordie opera  
erga proximum exercent; quod ad essentiam  
illius imaginem quam proxime accedant.

Sed alia etiam testimonia producamus.  
Salomon initio Prouerborum suorum de  
hac virtute agens hunc in modum locutus  
est: *Misericordia & veritas te non deserant,  
circumda eas gutturi tuo, & scribe in tabulis  
cordis tui, & inuenies gratiam & discipli-  
nam coram Deo & hominibus.* Quo in loco  
notate obsecro, qui misericordia iustitia vel  
veritati adiungat: & profecto non absur-  
de. Sunt namque plurimi, qui pauperibus  
quidem largiuntur elemosynas, eorum  
necessitati quam abunde succurrunt, pa-  
rentibus vero suis non adeo lauta fortuna  
gaudentibus auxiliari detrectant: ideoque,  
cum iustitia hic exulet, misericordia hæc  
quidquam promereri non potest: æquitas  
namque postulat, vt iis potius qui ad nos  
quoquo modo spectant, quam aliis benigni-  
tatem ac misericordiam exhibeamus. Redeo  
ad lineam.

In tantum autem Osee Propheta miseri-  
cordiam extollit, vt ceteris eam virtutibus, Misericor-  
diam hecatombis præferre non erubescat: dia sacri-  
ficium. *Misericordiam volui & non sacrificium.* Quod fidei præ-  
cipsum Redemptor noster CHRISTVS fertur.  
apud Matthæum aliquoties vsurpauit, *Eu- Matt 9. 12.  
tes discite, quid est, misericordiam volo & non sacrificium.* Iacobus Apostolus iustitiam eam. Præferretur  
dem antetulit, *super exultat autem misericor- & iustitiæ.  
dia iudicium.* Metaphora est à ponderibus  
& statera deducta. Si enim iustissimæ Dei  
bilanci, hinc iustitia, illinc vero miseri-  
cordia imponeretur, hæc proculdubio præpon-  
deraret. Atq; hunc in modum exponit San-  
ctus August. verba illa Psalmi CXLIII. quæ  
interpres Græcus ita legit, *υπερταυρωται* Psal. 143.  
*υπερταυρωται*, id est, exultat & gloriatur mi-  
sericordia aduersus iudicium. atque hic sen-  
sus est: si iustitia & misericordia eodem in  
stadio decertarent, hæc haud dubie Victo-  
riam consequeretur, quia *miserationes super* In Epist.  
*omnia opera eius.* Hinc Oecumenius, *Gloria- Iacobi.  
tur, inquit, misericordia aduersus iudicium, si-  
quidem misericordes misericordiam consequen-  
tur, nequidquam freudente iustitia.*

Lib. 1.  
libello de  
superstitione.

Gen. 8.

Misericordia arcae comparatur.

Exo. 25. & 37.

Arca testamenti clauibus aperiebatur.

Matt. 6.

Ipsi quin etiam Gentiles ranti eandem fecere, vt velut Deam adorauerint, victimasque eidem immolauerint. Referunt enim Pausanias & Plutarchus, Athenis aram misericordiae sacram extitisse, cui omnes veluti dea supplicarent. Nos quidem Christiani eatenus non procedimus, quamuis fateamur, eam dein velut originem ac fontem esse, e quo omnes gratiae ac dona caelestia dimanent, fontem, inquam, qui nunquam deficiat aut exarescat, quod in plurimos riuos, qui caelum terramque circumquaque irrigent, deriuetur. Atque vt in Genesi magnus ille paradisi fluuius in quatuor amplissima flumina discriminabat, ita vastus ille misericordiae diuinae Oceanus in quatuor sinus ac maria, quae caelum terramque late irrigent, distinguitur. Primum est Creationis, secundum Gubernationis conseruationisq; tertium Redemptionis, quartum denique glorificationis. Omnia enim haec e profunda misericordiae abyssu originem trahunt.

Insuper addo, Misericordiam velut arcam quamdam esse, in qua diuitiae & opes nostrae in altero mundo conseruantur; in quo quidquid hic manus inopum coaceruarunt, duplicato, imo centuplicato seruetur, tandem nobis redditur. Huius arcae figuram existimem illam Arcam foederis, compactam e lignis Sethim incomputribilibus, circumquaq; auro mundissimo vestitam, inque sancto sanctorum deinde a Salomone collocatam: in qua & tabulae legis, & vira manna plena, & virga Aaronis quae nocte vna fronduerat, florueratque, asseruabantur. Vnde merito plurimi Patrum dubitarunt, vibus nonnumquam haec clauibus aperiretur & clauderetur: ac potior pars in partem negantem propendit, harum quippe nulla in sacris literis est mentio. Magnum mysterium ac misericordiae nostrae symbolum. Domus quidem haec nostrae & arcae opum custodes clauibus claudi & referari debent, ne fures omnia diripiant ac depraedentur, at in caelo nullis opus est; in quo tuta sunt omnia, ac fures nulli; vnde Euangelista; *Thesaurizate vobis thesauros in caelo, vbi neq; arugo neq; tinea demolitur, & vbi fures non effoderunt, neq; furatur.*

Eadem nos praeterea virtus recta ad coelum aternitatemque concludit. Ideo forsitan Salomon ostia templi interioris, quod caelum sancta sanctorum nuncupatur, oleagina effudit, se voluit. Olea misericordiae signum est; oleagina autem ianua quibus ad sancta sanctorum aditus dabatur denotant, per misericordiam ad vera sancta sanctorum, id est caelestem gloriam, aditus patere. Hinc etiam Christus e monte oliueti caelos petit; vt hinc Christiani discerent, e monte misericordiae per oliuarum montem designato, eodem se peruenturos.

Columba ad Arcam Noerediens, *Ore 7. Gimp. 1. mum oluae virentibus folis detulit.* quo docemur, animas columbinam sinceritatem imitantibus, si caelestis gloriae capaces reddi velint, viridem misericordiae ramum ore deferre oportere.

Quid amplius? Virtus haec sola nos a tyrannide ac diaboli laqueis immunes praestat, atque ideo eam Oecumenius oleo quo veterum athleta vngentur, ne ab aduersario constriherentur, comparare non dubitauit, nam quemadmodum vnctus non nisi aegre constingitur, ita quoque anima si caritatis & misericordiae oleo vncta sint, facillime daemontum laqueos & manus euadunt, ac non nisi difficillime ab iisdem capiuntur. Ideoque Augustinus alibi exclamat, *Ante fores gehenna sicut misericordia, & nemi- Lib. 50. ho- millarum humil. 29. Hom. 5. de parousia.* nom permittit in carcerem mitti. Chrysostomus vero per regiam hanc virtutem vitam aeternam emi posse putat, atq; hoc in mundo nuditas habere nos fecundissimas, in quibus aliquot operum misericordiae nummulis, infinitam Dei misericordiam coemere ac lucrari liceat; misericordes enim misericordiam consequentur. Longius a quo materiam hanc profecutus sum, inque misericordiae laudes latius excuri, quod Euangelium hodiernum non nisi misericordiam contineat & complectatur, in quo Dominus cum suis agens, hac eos sententia ad misericordiam exercendam adhortatus est: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.*

Quam cum hodie in manus sumptis pluribus de eadem misericordia acturus sum: deinde.

deinde ostendam, peruersa ac temeraria iudicia esse fugienda, iniuriasque ex animo remittendas; quæ omnia & ad opera misericordiae referri queunt.

III. Principio igitur, tanti semper veteres, etiam barbari & ab omni humanitate alieni virtutem hæc fecere, ut quicumque hac careret, vita eum humana indignum, at potius ferinum, putarent, eaque e mundo ablata, vitam mortalium nequaquam posse consistere arbitrentur. Testatur hoc est M. Antonius Verus Imp. Romanorum dicens, *Inhumanum est humanis casibus & calamitatibus non ingemiscere.* & merito, quicumque enim malis alterius non condoleret, nã ille vita hominis indignus est. Martianus item Imp. dicere solebat, veras & certas eas demum diuitias esse, aliena non rapere, sed sua indigentibus largiri. S. Franciscus, magnus ille Minorum Patriarcha, dicebat ut plurimum, amoris Dei misericordiam velut paratum ac proxeneta esse, & eleemosynas dilectionis conciliatrices: censebatque eos vere prodigos & cum honore prodigos appellandos, qui sua in pauperes profunderent, stultos autem & fatuos, qui amorem Dei opibus pecuniisque, auaritia quadam diabolica exiccata, postponerent.

Misericordia pro iustitia accipitur in scriptura. Tanta siquidem virtutis huius excellentia & splendor est, ut misericordia, eleemosyna, sanctitas, iustitiaque pro vna eademque virtute sine vilo discrimine, in sacris literis capiantur. Prouerborum enim cap. XXI. ubi vulgata legit, *facere misericordiam & iudicium magis placet Deo quam vittima;* septuaginta legunt, *facere iustitiam;* & Rabini, *facere iustitiam.* Atque hæc est ratio, quod misericordia & eleemosyna velut iustitiæ ac sanctitatis omnis primitiæ sint; ideoque Paulus eleemosynam *frugem iustitiæ* nuncupat. nam ubi misericordia locum non habet, ipsa quoque sanctitas & iustitia habere non potest. Ecce & aliam: Quicumque in proximum misericordiam ostendit, vnicuique quod suum est, reddere videtur, quod iustitiæ in seipsum essentialis est: humanitas namque quæ ei naturalis est ac congenita, iure suo humanitatē ac compassionem in pauperem exigit, quoad illius su-

stentationem, & in Deum ipsum, qui hoc quodammodo exigere videtur dicens, *Quod uni ex istis fecistis, mihi fecistis.* Sed ad propositum.

Ipse quoque Deus singulares misericordiam consecrantibus largiri solet gratias ac dona, eandem vero exosis plurima denegare: id est fouet & complectitur misericordes, inhumanos vero corripit ac castigat. Hinc Osee Propheta, *Ablactauit eam* *quæ erat abique misericordia,* synagogam videlicet, quæ quod immitis & immisericors in pauperes exstitisset, à Deo ablactata fuit, id est, à suauissimo illo diuinæ consolationis lacte, quo hæcenus enutrita fuerat, violenter abstracta, ac diuinis gratiis donisque celestibus destituta. Nemini porro mirum videatur, verbo *Ablactauit* Prophetam hic usum, legimus enim in Genesi, *Ego Deus omnipotens* vel, ut Hebræi legunt, *Ego Deus Sadaï,* id est, *Deus, qui habet vbera:* ideoque in Canticis sponsa ait, *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Mirum autem, sponsum ab vberibus hic laudari, quod ineptum & præter decorum videatur, cum viti ab vberibus laudari non soleant. Sed magnum hic mysterium delitescit. Vbera namque sponsi, id est Dei, sunt sublimia illa dona ac consolationes diuinæ, quæ animam magis quam omnes sæculi voluptates, quæ per vinum denotantur, delectent: ab his porro vberibus ablactati sunt, qui in proximum immites sunt, neue opera misericordiae exercent.

At non modo benedictionibus suis inhumanos hos & immites Deus priuat, sed grauibus sæpenumero poenis in eos animaduertit. Recordemini obsecro tragice illius catastrophes, quam diues ille Evangelicus perpeffus est, quæ impulsore Augullino hoc in teatro producatur: *Memento, inquit, quid purpurato diuini contigerit, qui non ideo damnatus est, quod aliena vulerit, sed quod egenti pauperi sua non tribuerit: & in inferno positus ad potenda minima peruenit, qui hic parua negauit.* Vnde efficere possumus, immitibus infernum, misericordibus patere cælum. *Quod & Hieronymus Episcopus*

sola ad Nepotianum his verbis confirmat: *Non memini me legisse mala morte mortuū, qui libenter opera caritatis exercuit; habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.* Ideo Euangelium hodiernum suadet, opera misericordiae vt exerceamus, quo Patri caelesti similes efficiamur, & in corpore constituti ad diuinitatem quam proxime accedamus, *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.*

Ephes. 5.

Ioan. 8.

Egregium & sublimem hinc conceptum etiam Doctor ille Angelorum, verbum illud æternum & infinitum, nõ vult nos patri suo potentia & virtute pares esse, hoc namque Luciferum eiusque sequaces ad tartara præcipites egit; nec etiam sapientiã: Euz namq; hoc ruina & interitus omnium nostrum causa fuit: sed sola misericordia. Quo alludens, ad Ephesios Apostolus ait, *Estote imitatores Dei, sicut filij carissimi:* & Christus in Euangelio Iudæis ait, *si filij Abraham es, vt ipsi de vobis affirmatis, opera Abraham facite: patrem quippe sequitur sua proles.* Vnde Eneas filium Aescaniam, quo eum ad fortiter agendum animaret, his verbis allocutus est; *Disce puer virtutem ex me, verumq; laborẽ; & Te pater Eneas, & auunculus exerceat Hector.*

Christus vero aliis, *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.*

Quorum hic genuinus sensus est, Nisi misericordiam exerceatis, vt Pater eam vester exercet, degeneres estis, ab eiusq; natura nimirum quãtum deflebitis; qui vero inhumani sunt, & ad omnem crudelitatem assueti, nullamq; pietatem præferunt, nobili hoc & egregio filiorum Dei, imo & Christianorum nomine penitus indigni sunt, imo eodem & priuari merentur. Testatur hoc ipsum & Proverbialis ille versus,

Pal. lib. 3.  
16. 5.

*Dedecus est natis, claros habuisse parentes,  
Ni studeant illis moribus esse pares.*

Cn. Scipio Scipionis Africani filius, cuius è rebus bellicis comparata gloria totum eõ pleuit orbem, cum à paterna virtute rebusque gestis degeneraret, vitaque inhonesta graue tam nobili familiæ dedecus & ignominiam inureret; affines & amici hoc ipsum indigne ferentes, annulum cui Africanus

Pater insculptus erat, ei detraxerunt, quasi imagine parentis tam nobilis indignus, qui virtutes, fortitudinemque non æmularetur.

Illi ne igitur tam honorabilem ac nobilem adoptionem merentur, vt filij Dei nominentur, qui proximo misericordiam exhibere detrectant? an non potius eodem velut indigni priuandi.

Magnus Alexander pullus ille Martis, Maximus cum adolesecem eiusdem secum nominis, serm. 4. de sed non eiusdem animi ac roboris vidisset, fortitud. his eum verbis increpauit: *Adolescens aut nomen aut mores mutato.* nam nobile illud Alexandri nomen ac vitium non coeunt, nec se mutuo ferunt. Id ipsum tibi õ Christiane, qui à misericordia alienus es, inhumanus es, immittis es, Dei tamen filius dici appetis, dictum velim, aut mores tibi aut nomen mutandum. Christiani namque nomine indignus est, qui barbarorum consuetudinem & agendi rationem imitatur, & à misericordiae operibus abhorret. *Estote ergo misericordes, sicut Pater vester misericors est.*

Mentio sæpius in sacris litteris habetur 3. Reg. 7. duarum columnarum quas Salomon rex an. 4. Reg. 25. re templi introitum constituit, de quibus 2. Paral. 3. ita Paralipomenon auctor locutus est, *Ante Ierusalem fores templi fecit Salomon duas columnas, quarum triginta quinque cubitos habebant altitudinem.* Scio Hebræos per has columnas, vt testatur Rupert. Liranus, firmitatem & fortitudinem regni in 3. Reg. Dauid designare, sed Rupertus per easdem, duas virtutes intelligit, misericordiam & iustitiam, confirmatque opinionem suam ait verbis illis Canticoꝝ, *Crura eius co-Misericordia columna marmorea, qua fundata sunt super bases dia & iustitia aureas.* Nam vt pedum crurumque auxilio iustitia coincidimus, ita Deus misericordia & iustitia iumentis cõparatur; iuxta Psalmographum, *Vniuersa via Domini misericordia & veritas.* His duabus, Pal. 24. inquit Rupertus, *columnis tota domus incumbit, totum sacra scriptura innixum est adificium.* Hæc sunt diuinitatis crura, hisce hominem pedibus niti par est, his se bastibus fulcire, iustitiaq; ac misericordiam omnes actiones velut condimento suauissimo temperate, quo Patri æterno se patrem exhibeat; nam docuit

docuit olim Iesus: *Estote misericordes, sicut Pater vestrus misericors est.*

Vidit Ioannes olim thronum Dei iride conuestitum: quod emblema diuersimode exponitur. Ioachimus enim per iridem hanc Spiritum Sanctum intelligit, qui auxilio suo Ecclesiam protegit, suaque tutela eam dem quodammodo circumcingit; idque ex mente Dauidis dicentis, *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui* Richardus a. de S. Victore, cum sciret iridem arcus figuram exprimere, atque hoc belli signum esse censet hic Iudicium designari; iride autem thronum cingi vult, eo quod iudex tam illos qui à dextris quam qui à sinistris futuri sunt diiudicabit. Beda per iridem hanc agmen sanctorum Cœlitumque intelligit, qui idcirco thronum ambire dicuntur, quod precibus suis & intercessione circum Ecclesiam excurrent, eamque vndique defendendo protegant. Sed scopum hi mihi visi sunt tenuisse, qui per arcum hunc diuinam misericordiam exponere conantur, eo quod iris à multo iam tempore diuinæ misericordiae & clementiæ symbolum sit, qua thronus Dei circumcingitur, quod eam ubique locorum ac nullo non tempore exerceat, & nonnisi meram misericordiam sit. De quo Euangelium hodiernum ait, *Estote misericordes, sicut &c.*

Proprium Deo est misericordiam hominibus ostendere; ideoque veteres, ut delinquentibus spem veniæ obtinendæ ingererent; Deorumque suorum benignitatem insinuarent, eorum statuas & imagines ut plurimum oleaginas fingebant. Vnde Cartharius refert, Iouis simulacrum quamvis ex auro & marmore factum esset, olea tamen à Romanis semper coronatum fuisse, quod arbor hæc verum misericordiae symbolum sit. Milesii quoque cum oleam quandam sacram ipse sui succendissent, oraculum consulere, num quid mali ob violatam arborem respub. eorum incurreret, respondit, eo quod misericordiae & benignitatis symbolum abstulissent, egregia & barbara crudelitate eos diuexandos. Deus igitur misericordiae Deus est, & totius benignitatis auctor, nostrum porro est eam-

dem, ut à Deo profectam, imitari. Vnde Euangelium, *Estote misericordes, sicut, &c.*

Sunt autem plurima quæ in nobis virtutis huius amorem excitent, nolque ad eius exercitium extimentur: productis prægnantioribus cetera præteribo. Misericordiam qua nos homo proximo suo exhibeat, ut eam dem ab illo suo etiam tempore vicissim experiatur, nam homo natus de muliere, breuique uiuens tempore repletur multis miseriis; plurimisque calamitatibus obnoxius est. An non igitur, cum fortunæ inconstantia subiectus sit, & calamitatum variarum in mundo occurrentium scopus, misericordiam proximo demonstrat, eiusque inopiæ necessitati succurrat necesse est, ut, cum ad easdem angustias redactus est, similique miseria iacet immersus, eiusdem benignitatem promptam paratamque inueniat.

Secundo, quod hoc ipsum Deus præcipue à nobis omnibus exigit, nihil enim tam in veteri quam in nouo Testamento inculcat frequentius, quam misericordiam, & magni criminis loco habendum putat, eamdem negligere, barbariemque induere. Adco ut Propheta Ezechiel omnem Sodomitarum ruinam, misericordiae neglectui putarit adscribendam. *Tenebant, inquit, panem & omnia bona terra, & non extendebant manum ad dandum pauperi.* Hinc Christus Redemptor noster cum quemdam aridam manum habentem inuenisset, & ille sanitatem postuleret, iussit Dominus eum manum extendere, quo facto sanitatem consecutus est. *Quem locum quidam exponens ait, nulla res tantum valet, ad recipendam salutem quam aperire manum, & dare elemosinam.*

Tertio quod & multa animarum ratione & intelligentia destituta in alia benigna sint & elementa. In quo grauius culpandus est homo, qui & iudicio & ratione præditus, inhumanus tamen & durus est. Quod cum Iob Propheta miraretur, eundem ad animalia, à quibus misericordiam discat, destinaret: *Interroga iumenta, & docebunt te, volatilia cali, & indicabunt tibi, loquere terra; & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris &c.* Perinde ac si dixisset, Desere celebres illas Philosophorum academias, & homo, &c.

III.

Plurima

incentua

qua nos

ad miseri-

cordiam

excitent.

I.

II.

Ezech. 16.

Matth. 14.

III.

Misericor-

dia etiam

inter ani-

malia reo-

peritur.

mo, & scholas illas sublimium magistrorū ; adi potius naturalia bestiarum seminaria, illas interroga, ac qui vitam instituere & misericordiam exercere debeas, te docebunt. Primo ad bestias terræ nos mittit, aitque illas homini exemplo esse posse, quo erga proximum benignum se exhibeat, quod præclaris iam exemplis confirmabor.

*Ælianus*  
*Li. 12. variar.*  
Elephantū  
pietas.

*Idem lib. 8.*  
*cap. 14.*

Elephantes cum turbulentum ac præceps aliquod flumen tranare parant, robustiores & valentiores in aquam se coniciunt, eiusque imperum frangunt, ut qui imbecilles sunt, nullo negotio flumen traiciant, fortiorumque robore adiuti in continentem perueniant. Adhæc qui elephantorum venationi incumbunt, quo eosdem incautos opprimant, in viarum angustiis fossas occultas ducere, easque virgultis cooperire solent, ut in easdem delapsos constingant. Quam fraudem cum elephantū perspectam habeat, sciantque sine discrimine se hæcæ rethnas non posse euadere, omnium fortissimus in fossam se deicit, vitæque se discrimini exponit, ut ceteri dorso eius velut ponte tranar, itaque omnes incolumes transmittat. Ceteri deinde cum iam transferint, arborum ramos proboscide suo deiciunt, eosque in fossam coniciunt, ut iis socius insitens tandem emergat, summaque deinde nituntur opum vi, ut quam prius benignitatem experti sunt, eandem re ipsa reddant.

*Item Leo-*  
*nia*

Leo animalium fortissimus, quamuis furorem & crudelitatem à natura habeat, eandem tamen misericordiam melle temperat & condit: numquam enim paruis animalibus inhæbit, nisi fame propemodum enecerit: sed varia semper eum animalia sequuntur, quibus cum ille prædam si quam rapuerit communicat, ac velut princeps generosus hos ut parasitos & clientes prædæ suæ epulis nutrit. An non igitur Iob merito nos ad bestias terræ mittit, quo misericordiam ab iis discamus, *Interroga iumenta, & docebunt te?*

*Auiū be-*  
*nignitas.*

Aues quoque cæli & pisces maris nobis ut pædagogos tribuit, *volatilia cæli, & dicent tibi: ipsa namque animalia terrestria in misericordia longe superant. Ciconiæ parentes senio confectos educant, & si quando in*

aliam regionem transmigrare oportet, humeris eos suis sustentant, ne forte in via deficiant. Pelicanus, ut paruulos, enutriet, se se euiscerat, rostroque pectus terebrat, quo sanguine eos proprio pascit. Coruus, teste *Li. 1. 44.* *Æliano*, cum præ senectute prædam confectari nequit qua pullos educet, vitæ suæ prodigus se ipsum, miserando profecto exemplo, in prædam & cibum offert. Ad pisces iam deveniamus. Tradunt Delphinum, si quando cum paruulis alimenti conquirendi ergo per mare diuagatur, & aliquem eorum à piscatore capi contingit, horrendo eiulatu edito cæteris fugam suadere, cymbæque deinde piscatore appropinquantem, circumque paruuli carcerem quodammodo obambulant, in cautes se, piscantium vltro induere, seipsum in prædam dando, quo capto paruulo adit & succurrat. Referunt, eosdem Delphinos, si quando aliquem ex illis piscatores atraxerint, magno coacto agmine & impetu scapham cui socium iniicere, circumcingere & impetere, adeo ut piscatores, nisi cymbam & se in extremum periculum conicere velint, captiuum reddere cogantur: quo reddito, omnes mox lætati ad stationes redeunt suas. *Iob. 11. 26.*

Adhæc si quem eorum mori contingat, eum unanimes magno luctus tristitiæque signo edito deferunt: ut in abyssu aliqua profunda sepeliant: itaque tum in mortuos tum viuentes misericordiam declarant.

Ad terram denique nos mittit. *Loquere terra, & respondebit tibi ad propositum. Quæ* *Terræ benignitas.* verba Ambrosius explicans adhortatur homines, ne hac in re ab elemento sensus experte se superari patiantur. Considerent, inquam, ut terra frugibus, quas effundit & educat, non vtatur, sed in hominum usum, alimentum, necessitatemque communem easdem abundantissime suppeditet. Non est, mihi credite, auara, aut tenax, sed benigna, larga & prodiga nihil ut sibi seruet, omnia autem hominibus elatgiatur. Sed valeant iam animalia, quorum occasione à proposito deflexi, ad quod iam reuertor.

Quarta, quæ nos ad misericordiam opera exstimulet ratio, est ipsa merces & longissima dati compensatio. Solent enim Deus eos *IV* qui



qui in pauperes eleemosynas elargitur, eorumque necessitati succurrunt, singulari quadam ratione remunerari, eleemosynamque exiguam amplissimo premio donare. Vnde egregie mihi Sapiens scripsisse visus est, *Alij diuitiant propria & ditiores sunt, alij rapiunt non sua & semper in egestate sunt*: quod quotidiana quæ ob oculos versantur exempla manifestum reddunt. Item alio in loco amplioribus verbis asserit, *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt*. At hæc non nisi verba, iam re ipsa & exemplis demonstrabo.

*Reg. 17.* Vidua Sareptana, eo quod Eliæ Prophetæ in necessitate constituto, magno charitatis affectu succurrisset, benedictionem à Domino consecuta est, adeo ut paulum quod habuit olei & farina, toto siccitatis tempore non fuerit imminutum, & à Domino audire meruerit, *Hydra farina non deficiat, nec lecythus olei minuetur usque ad usum in qua Dominus daturus est pluiuiam super faciem terræ*.

*Phil. Diac. lib. 5. ca. 3.* Imperator Constantinopolitanus Tiberius cum omnia Imperii insignia & ornamenta in pauperum vsus conuertisset, à sciolis quibusdam, deque reipublica nimis anxie necessitate sollicitis, ut largitionis finem faceret, ne quid detrimenti Imperium caperet, admonitus est. Ipse vero nihil commotus heroice & constantiter respondit, *Deus nõ dærit fisco nostro*. Atque ecce, haud multo interiecto tempore, cum in palatio obambulare, marmoreum lapidem ad pedes vidit crucis signo notatum, tolli hunc quamprimum iubet, ne redemptionis nostræ signum diutius pedibus proteratur. Sed illo sublato apparuit & alius; & hunc cum tolli iussisset, apparuit & tertius, eisdem characteribus notatus, quo sublato thesaurum infiniti pretii reperit, quem deinde in pauperum vsus maiori liberalitate erogauit.

*Cap. 187. Historia memorabilis.* Simile in Prato Spirituali, qui liber in variis Conciliis œcumenicis approbatus fuit, exemplum refertur. Christianam quandam ethiopicam in vxorem duxerat, moribus & vita dissimilem, sed tamen pauper pauperem.

*Tom. 2. Pars Æstius.*

Maritus igitur cum nummos aliquot in focinus exponere vellet, ait vxor, ut Deo Christianorum eisdem daret, neque enim melius maioriq; cum fœnore eisdem exponi posse. Hic cum ille peteret, vbinam Christianorum Deus reperiretur manu cum vxor ad templum duxit, vbi cum magnam pauperum & egenorum catenam reperisset, ait, His nummos tuos trade coniux charissime, & Deus noster hos velut sibi datos interpretabitur, (omnes namque quos vides, ad eum spectant) ipse fœnus largissime & certissime persoluet, imo quod dedisti duplicabit, nec est quod vel obolum è nummis tuis perdere vereare. Obsequitur maritus vxori: verum cum necessitas grauis deinde ingrueret, adit vxorem, debitum & fœnus exposcit, iam enim tempus aduenisse quo iis opus haberet. Illa virum solari, bonoque animo sit hortari, suadetque eodem ut se conferat, quo prius, cum nummos in pauperes erogaret. Adit ille templum, atque omnem in partem circumspiciens, præter pauperes nihil videt, donec oculis in terram deiectis aureum conspiciat: quo cum domum reuersus, vxori, rerum necessariarum comparandarum ergo eundem tradidit. Forum illa adit piscarium, piscem coemit, quem cum euisceraret, lapidem pretiosum in ventre reperit, quem cum trecentis aureorum millibus vendidisset, largo eleemosynarum remuneratori Deo immensas gratias egit. Eleemosyna igitur diuitias fœnore duplicato reddit, ac sine vilo dispendio. Testatur id Salomon dicens, *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei*.

Vltima quæ nos ad misericordiam inuinet ratio est, ut cogitemus, opera misericordie in die iudicii potissimum examinanda, nullosque puniendos grauius, quam qui eadem neglexerunt. Dicet enim, ceteris criminibus quodammodo sepositis, *Iudex dæa velut expostulans & indignans, Esurians, & non dedisti mihi manducare, nudus fui, & non dedisti mihi induere, in carcere fui*. Quibus Iacobus Apollolus accedat dicens, *Iudicium sine misericordia* *Jacob. 2.* *ei qui non facit misericordiam, sed in proximum*

Matth. 5.

mum immitis & inhumanus est. E contrario vero merces amplissima proponitur iis qui eadem exercere, *Beati misericordes. quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Eia agite, estote misericordes, sicut Pater voster misericors est. Sed nondum hic sistimus, aliud orationis membrum iam prosequamur: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

IV.

Deus temere iudicantes castigat.

Cum dominus ad misericordiam Apostolos, & cum iis nos ipsos adhortatus esset; iniuriarum etiam obliuisci eos voluit, vindictam deponere, & omnia temeraria aduersus proximum iudicia abhorreere; hæc siquidem omnia Charitati maxime repugnant, iræ imperum sapiunt nihilque cum misericordia commune habent: & imprimis sinistra opinioniones ac iudicia, id est, iudicia in proximi præiudicium lata, leui tamen coniecturæ nitentia. Vocat ea Scriptura iudicia secundum faciem, & exteriorem proximi agendi rationem. Ita nempe in Euangelio Ioannis vocantur: *Nolite secundum faciem iudicare, sed rectum iudicium iudicate.* Ille nempe male & perperam iudicat, qui non nisi ex signis exterioribus aduentitiusque iudicat; sed si quid iudicatis, recte & æterum natura iudicare.

Ioan. 7.

Leuit. 13.

Leprosus septem diebus à ceterorum hominum consortio segregari voluit Deus, vt interea sacerdos, cuius erat inter lepram & lepram discernere, mature deliberaret, ac tum demum iudicium ferret, ne quid temere & præcipitanter ageret. Noluit primo, aut tertio, aut quinto eum die de morbo iudicare, sed ad finem septimanæ; ne præcipitarum iudicium à vero iustitiæ tramite eum cogeret deflectere. Docebat hic mystice Deus, eum qui proximi vitam vitiaque, quæ velut lepra spiritualis sunt, diiudicare voluerit, iudicium suum ad aliquod debere tempus suspendere, nec si quod in eo reprehendendum occurrit, primo id die reprehendere oportere. Si hanc in discernenda lepra oculum in sacerdotibus præcipitationem reprehenderit Deus, maiori profecto ratione eandem in lege Evangelica reprehendet, ac præsertim in nobis, quibus nulla nec auctoritas, nec in iudicanda lepra interna, id

est, vitii & imperfectionibus proximi, iudicandum est. Audiamus verba cantionis, *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Existimat impius omnes sibi in impietate pares existere, atque ideo iniudicando fallitur, minusque se temerarium ostendit. Hinc Nero quod illicitis & impudicis amoribus teneretur, omnes iisdem teneri existimabat, & neminem dari posse, qui concupiscentiam refrænaret, naturæque imperus compeferet. Omnes videlicet iniquo inceptiarum pondere pensabat. Est hoc nempe impiis solenne, omnes vitæ suæ vitiorumque vna dimetiri. Ecclesiastes auctoritate hoc sua confirmat, *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, ceteri sputat insanire.* Exempli loco seruiat Vago Holofernis amorum pararius, & ad omnem libidinem parandam idoneus: cum enim videret Holofernem præter consuetudinem somno distineri, credebat eum Iudith viduæ amplexibus frui & iisdem inebriatum surgere non posse. Credebat ecce eam lasciuam, & Duci pudorem suum prostitutum venisse, qua nulla tamen in Israel, forsan in mundo, castior & honestior poterat reperiri, *suspiciabatur enim illum cum Iudith dormire.* Hæc scilicet sunt vulgata hominum iudicia, sed quæ omnia semper in deterius interpretentur.

Cogitat impius omnes sibi esse similes

Ecc. 10.

Iudith.

Simon Leprosus Phariseus perperam de Magdalena iudicauit, cum eius impudentiam tacite & in animo castigans, eam temerariam censuit, ac velut peccatricem despectit. Iudicauit etiam secundum faciem alteri ille Phariseus, cum conspicato in templo publicano, eiusque delictis sibi propositis, eum vt peccatorem, alienorumque bonorum inuasorem tenuit.

Luc. 7.

Luc. 18.

Vniuersa Respublica & Princeps Ammonitarum, iudicio temerario afflueti, nunquam in animum inducere potuerunt; vt crederent, Davidis legatos amicitia & fœderis inuendi ergo, regisque ob mortem patris afflicti recreandi, venisse, verum eos mox vt exploratores habuere, summaque contumelia & ignominia affectos domum remie-

1. Reg. 10.

remie-

remisere. Semper igitur qui nequam est, nequiter de proximo iudicat.

*Temeraria iudicia cucurbitulæ medicorum si multa cen-  
sentur.*  
Cucurbitulæ, quas Medici male affectis corporibus applicant, quidquid mali in corpore sanguinis est, attrahunt; bonum vero & incorruptum humorem, quique ad vitam sustentandam sit necessarius, relinquunt. Similes his esse dixerim impios & nefarios homines, vitæ enim proximi, suspitionibus suis deprauatis, temere inhærentes, virtutes, & quidquid laudem & honorem meretur, relinquunt, vitia vero omnesque, quæ circa cutem supernatant imperfectiones, exsugunt & attrahunt. Solent porci & sues, sordibus natum animal, non nisi in luto fimoque volutari, & in solo cœno volutabroque voluptatem sentire: similes his maledici sunt; sordes proximo litro suo & lingua semper effodiunt ac rimantur, vitiaque eius semper excutiunt, ac non nisi cœno peccatorum delectari videntur.

Qui nihil quod domi agant habent, per plateas vagari, atque otiosi obambulare in compitiis solent, omnia inuentes, ac singulorum defectus diligenter norantes. Ita qui quod in conscientia suâ penitenti agant nihil reperiunt, & circa vitæ morumque propriorum statum negligentes sunt; aliorum ut plurimum vitam atrodere, in eorum inquirere vitia, & de proximo negotiis temere admodum diiudicare consueverunt.

*Ab Politicia. Cap. 134.*  
Hæc Plutarchus, cuius sententiam Sophronii auctoritate confirmabimus; Refert hic in prato spiritali senem quemdam Anachoretam, cum ab alio iuniore interrogaretur, qui fieret, ut in iudicando adeo præceps esset, inque aliorum fratrum vitis inquirendis ita sedulus, respondiisse; Eo quod te ipsum nondum plane perspectum habeas. Qui enim seipsum accurate intueretur, moresque proprios dispicit, in aliorum defectus oculos non conicit; suaque inquirens de aliis minime sollicitus est. *Nolite igitur iudicare, & non iudicabimini.*

Vbi porro charitas & misericordia locum habent, prava iudicia excluduntur, neque enim bene conueniunt, aut in vna sede mo-

rantur. Mercatores, qui societatem inierunt, tam aduersitatis, quam lucri esse debent participes, & si bono frui simul velint, debent & malo. Idipsum in omni fidelium societate obseruetur. Nam quemadmodum charitate aliorum nobis bona propria redduntur, eorumque felicitates participamus, iuxta Psalmographum, *Particeps sum ego omnium timentium te*, atque ita infinitum quid lucramur: ita misericordia aliorum nos calamitatum participes efficit, proximorum nos miseras non secus ac nostras experiri cogens. Suadet hoc Apostolus dicens, *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus*. Idem ipse Corinthiis scribens hunc in modum locutus est, *Sicut socii passionum, ita & con-  
solationum*. At omnis hæc sancta societas per temeraria iudicia dissoluitur, quæ ab anima maleuola & parum amica, ipsas quintiam virtutes deprimente, vitiaque exaggerante proficiuntur. Nullos autem inter omnes Christianos hisce deteriores reperire est.

Qui sordes totius urbis conuehant, & simile cœnum coaceruant exportant, vilissimi mortalium ac non nisi capite censi in bene morata Republica habentur. Ita inter Christianos ita viles & velut propudium ac perisema habendi sunt, qui falsis rumoribus nimium creduli, ac temere suspicantes, domos alienas conuertunt, eorum vitæ sordes congerunt, omniumque naribus exponunt. *Nolite igitur iudicare, & non iudicabimini.*

Vera porro misericordia nihil de proximo mali loquitur aut cogitat; nam *charitas*, teste Apostolo, *non cogitat malum*. Ideo Adam, quamdiu in innocentia statu permansit, nuditatem suam non agnouit, at mox ut peccauit, eandem agnoscens erubuit. Ad eundem etiam modum, animæ charitate plenæ, & innocentia vitæ laudabiles, nuditatem & peccata aliorum videre nequeunt; sed eadem excidentes, facillime agnoscunt, perspicaciterque eorum vitia intuentur.

Æsopus fabulator dicere solebat, duplicem omnes nos manticam gestare, vnam dictum ante oculos, alterum à tergo; in hac nostra

*Stobaeus* nos vitia gerere, quæ videre nequeamus, sed in illa proximi, quæ semper præ oculis haberemus. Vnde Poeta sæculi sui mores satyra mordaci perstringens,

*Perf. sat. 4.* *Vt nemo in sese tentat descendere, nemo: Sed præcedenti spectatur mantica tergo.*

Efficere vult, eam sæculum nostrum labem occupare, vt omnes vitam proximi inspiciant, inque eius vitia inquirant; quod ob defectum caritatis & misericordiæ euenire saluator innuit: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

*Li. 3. Tusc. Quæst.* M. Cicero maleuolorum mores castigās, proprium stultitiæ esse ait, aliorum vitia cernere, & suorum obliuisci: cui Gregorius Magnus in Moralibus suffragatur, *Stulti tanto intensius de alieno iudicant, quanto sua profundius ignorant.* Quantum porro peccatum hoc animæ detrimentum adferat, quantum periculi creet, quantaque pœna ipsum maneat, dici vix potest.

*Psalm. 5.* Psalmographus hoc peccatum detestatus, initio Psalterii Dominum rogat, vt iniquos hos iudices diiudicet, postquam iam dixisset, os eorum sepulchrum patens esse: *Sepulchrum patens est guttur eorū, linguis suis dolose agebant; iudica illos Deus. Decidant à cogitationibus suis, secundum impietatem eorū expelle illos.* Maledici ecce os sepulchro mortuorum ossibus pleno, ac rerum odorem exhalanti comparat: adeo vt proximum tam viuum quam mortuum in ore suo velut in sepulchro condant, id est, bonos iuxta ac malos sine vilo discrimine, maledicentiæ & conuictiorum aculeo, profcindant.

*Tob. 2.* Raguel, Tobæ iunioris socer, cum septē Saræ maritos ab Asmodæo postridie nuptiarum interfectos vidisset, & iam metueret, ne idem Tobæ nouo suo genero contingeret, ipsa nuptiarum nocte, seruos tumulum præparare voluit, in quem inferretur; quin & postridie mane ancillam in thalamum immisit, quæ videret, num & hic, instar aliorum, expirasset. Die mihi Raguel, cur tumulum paras nondum mortuo, cur sepulchrum viuenti extruis? Respondentem audire videor, Eo quod omnes, qui ad feminam hanc introitum habuere, mortui sunt: à quo casu nec hunc immunem

Insignis  
conceptus.

fore arbitror. Sed audi, an non te falli posse putas? An hunc, vt differt moribus, ita etiam mortem diuersam habere posse negas? Sed quid? omnes priores sepelire solebat, & hunc similem futurum credit. Id ipsum & calumniatibus maledicisque accidit: cum enim soleant imperfectiones & delicta proximi sepelire: tam bonos quam malos, sine vilo discrimine, tumulo suo condunt. O iniustitiam nimis ah crudelem! Sed tñ iudica illos Deus. Ceterum Psalmista eos iniustos, linguosos, linguæque virulentæ viros appellat: *Vir linguosus non dirigitur in terra, virum iniustum mala capient in interitu.* Iniustos vocat, quod in proximum iniqua iudicia pronuntiant, vitæque eius causam non recte diiudicent. Linguosos autem, quod plures linguas habeant, atque omnibus prope modum membris loquantur, oculis, signis, nutu, gestibus, & omnibus deniq; sensibus; vel, quod de omnibus tam bona quam mala promiscue, sine vilo discrimine effusant ac garriant: verum existimantes illud, quod fabulosum est, & lenibus tantum coniecturis ac fallaci populi sermoni innititur.

Veteres Ægyptii, vt quidem Plato ait, inter cætera Deorum suorum simulachra, Pana monstrofa quadam forma exprimebant, qui inferne capræ, superne hominis imaginem referebat, manibus vero organa gerebat; atque hac imagine vulgi sermonem & famam populi innuebant, quæ vera & falsa esse poterat, vt Pan & capra & homo. Ideoque non esse ei vsquequaque credendum, nisi omnium vocum organa conuenirent, & nisi veritas omnium voces in vnâ harmoniam temperaret, id est, nisi vnum omnes loquantur. Qui enim non nisi vnus aut duorum sermone confirmatus, aut vulgi opinioni innitens, de proximo iudicat & credit, linguosus & vere iniustus appellandus est. Atque ideo *virum iniustum mala capient in interitu*, vel, vt Græcus interpret reddidit, *mala venabuntur in interitu*: vel, vt Chaldæus: *Virum prauum & malignum, venabitur Angelus mortis & detruet in gehennam.* Quibus omnibus iusta illa vindicta, quæ serius aut citius detractorem ac maledicum

dicum manet, exprimitur; ac praesertim ea, quae in fine vitae illi euenire consuevit.

Dauid rex aduersus detractores falsaque iudicia iudicantes debacchatus, inter cetera quae iis irrogata vult supplicia castigacionesque, postulat vt ponantur sicut flamma, qua comburitur montes. Sunt liquidem in rerum natura montes, qui flammam ac cineres ex imis cauernis perpetuo eiaduntur; adeo vt quicumque eosdem videret, claustra inferni aut caminos tartareos se videre existimaret. Et si causam à Philosopho postules, cur Aetna, Chimera, aliique montes semper exarsuerint, flammisque euomant; dicit id haud dubie propter inclusas visceribus terrae sulphuris venas accidere, quae ex aere incensae erumpunt, & per occultos illos meatus egredi conantur. Non secusetiam, cum videres hominem, cuius os, velut os inferni aut Vulcani antrum, flammam cholerae, blasphemiae, furorisque perpetuo eiaduntur verbaque detractionis profert, & praue de proximo iudicat; haec è corruptis visceribus, interioribus latentibus sulphuris venis originem sumere credas velim.

Cum Maria Moses & Aaron soror, eo quod cum ceteris aduersus fratrem murmurasset, lepra infecta esset, ait Glossa, aues pro eadem Deo in sacrificium oblatas esse. Aues garrulitatis & obmurmurationis, cuius se mulier haec ream constituerat, symbolum sunt; atque ideo scriptores aiunt, Baccho picam, quae garrulorum emblemata gerit, sacram fuisse: quae cum pectore albae, ac reliquo corpore nigra sit, maledicos optime exprimit, qui pectus quidem candidum & animam sinceram exterius demonstrant, verbisque veritatem initio praefertunt, sed tandem, cum mendacium loquuntur, & inique de alio iudicant, nigredinem suam patefaciunt. Ideoque Nolite iudicare, & non iudicabimini.

Salomon cum doceret, quanta in diiudicandis aliis adhibenda esset cautela ac prudentia, ait, Verba sapientis statera ponderantur. Nam vt in statera, si quando aequalia pondera sunt, momentum ipsum non preminet aut demergit, ita viri prudentis lin-

gua nunquam nisi in prudentiae partem propendere debet. Hinc pictor quidam non absurde mihi pinxisse visus est, dum bilancem fluxit, in cuius vna lance canem, in altera vero serpentem efformauit. Per canem latrantem ac saepius mordentem, linguam liberratem denotans; per serpentem vero, qui Mineruae custos & stipator erat, prudentiam significans. Si enim proximus interdum coarguendus & corripiendus est, magna id cum moderatione & prudentia fiat.

Si statera huic Laban idololatra, & in generum suum Iacob idola illius auctorem iniurius, verba sua imposuisset, considerasset inquam, quam fidele ei obsequium exhibuisset; nunquam linguam in illum caninam exeruisset, furti eum & latrocinii coarguendo, Cur furatus es Deos meos? Si Assueus rex iudicia sua in bilancis partem in qua serpens erat; propendere fecisset, quando nimirum Amanum tristitia & afflictione plenum in lectulo iacentem conspexit, linguam canina cum non proscidisset dicens, Etiam me presente reginam vult opprimere. Si Melitenses iudicia etiam sua bilanci huic imposuissent, quando Pauli brachio adhaerentem lacertam videre, nunquam tam temere de eodem dixissent, Vtique homicida est homo hic, qui cum euasit de mari, vltio non sinit eum viuere. Hinc benecorauit Dauid rex, Pone Domine custodiam ori meo, & osium circumstantia labiis meis, vt non declinet cor meum in verba malitia, id est, obsecro Domine, vt praecipuum illud tuum obseruem, Nolite iudicare, & non iudicabimini.

Vult ad haec misericordia, vt, quando quis in nos peccauit aut nos offendit, iniuriae omnis obliuiscamur, Dimitte, & dimitte. Chordam hanc ferit Paulus cum ad Ephesios ait, Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Magnam Tò sicut emphasim habet, perinde ac si dixisset, si Deus, qui creator est, creaturis crimina condonat, an non potius creatura alteri creaturae? si dominus seruo ignoscit, seruus conseruo non remittere iniuriam? DEVS si peccata grauissima obliuiscatur, homo leuissima delicta

Pictoris alicuius industrii pictura & inuentio.

Genes. 31.

Esth. 5.

A. 28.

V.

Misericordiae quoque offensam remittere.

Ephes. 4.

Matth. 18.

delicta cur cupiat vleisci, eorumque memoriam cōseruare. Huc refertur poterit parabola illa Matthæi de seruo ingrato, *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me? nonne ergo oportuit & te misereri conseruari?*

Prudentis naucleri est, ventis sæuientibus cursum non proflequi, aut contra obniti velle, sed velis contractis eorum violentiæ cedere, ne quod forte discrimen adeant. Christianus mundi huius mate enauigans, hoc imiteretur, ne resistat in quâ iniquis & sæuientibus iniuriarum calumniarumque turbibus, sed vela componat, & furorem contrahat, omniaque obliuiscatur: ne forte vindictæ aut odii tempestatibus agitatus infelix animæ naufragium partiat. Hoc scilicet imperat Deus dicens: *Dimittite, & dimittimini.*

Fabulantur Poetæ, sub fabularum tamen inuolucris amplissima condentes mysteria, tricipitem Cerberum ossa mellea ab Æneæ data soporatum, ita vt inferos adeuati allatrare ausus non fuerit. Hoc quidem fabulosum, denotat tamen, choleram crudellem passionem esse, ac velut truculentum molossum, qui semper allatrando vindictam spiter, ac non nisi mellita ossa, id est, verbis blandis & placidis, misericordiamque spirantibus, soporari possit. Vnde Salomon, *Responsio mollis frangit iram.*

Prouer. 13.

Psal. 128.

Propheta Dauid, suam vt patientiam in sustinendis proximorum iniuriis declararet, *supra dorsum*, ait, *meum fabricauerunt peccatores*. Notate hic, vt dicat *dorsum*, & non *pectus*; eo quod peccatores pios non in pectore, sed in tergo solummodo feriant; omnia enim hi pone tergum iaciunt, iniuriarumque sibi factarum quamprimum obliuiscuntur, præceptum Domini adimplere gestientes, *Dimittite, & dimittimini.*

Inter cetera Pythagoræ symbola numeratur & hoc, *Olla ab igne remota nullum in cinere vestigium relinquendum*. Denotare voluit cor nostrum, quod dum ira exæstuat, ollæ bullienti per simile est, cum semel refederit ac deferbuerit, nullum iræ aut indignationis, iniuriarumque recordationis vestigium debere relinquere. Hæc Cyrillus

libro quinto Stromatum; Isidorus vero ait *Epist. 11. ad iras aquæ inscribendas, vt exemplo dissipentur, amicitias vero æri insculpendas, quo earum memoria perpetua sit, & nunquam intermoriatur.*

Ipsi nobis hic pudorem incurient Gentiles, qui iniurias sibi illatas & heroico animo sustinere, & breui deposuere. Socrates enim, vt Basilius ait, cum magna cum ignominia colaphum accepisset, nihil commotus est, sed animo sedato, vultuque ad hilaritatem composito, aliam vindictam non sumpsit, quam quod percussoris nomen fronti, non secus ac statuæ ipsum artificis, inscriberet: quo exemplo satis demonstrauit, quam Christiano indignum sit, alios offendere, quam vero necessarium iniurias remittere: ecce & aliud exemplum.

Aulicus quidam senex, referente Seneca, *Lib. 1. de interrogatus, quomodo in aula viuendo ad tantam senectutem peruenire potuisset, respondit, iniurias accipiendo, & gratias agendo iniurias irrogantibus*. Id ipsum nobis in Euangelio præcipit Deus, *Dimittite, & dimittimini.*

An non, mihi credite, satis est, iniurias remittere & obliuisci, cum inimicis in gratiam redire; sed necesse etiam est, eisdem comiter accedere & alloqui, quin etiam, cum occasio postularit, in eisdem beneficia conferre. Tradunt Physici, in Emblematis Alciarus, & in Hieroglyphicis Pierius, si duo tympana quorum vnum è pelle lupina, alterum ouina confectum sit, eodem tempore pulsanda sint, neutrum sonum editurum, quamuis percussa diffingerentur. atque hæc est ratio, quod antipathia illa atque odium, quod inter vtrumque animal ad mortem vsque perseverauerit, post mortem in exuuiis etiam viuat, ac strepitum impediat. Si aliquod igitur tympanum coram altero pulsatum sonitum edat, certissimum signum est, è pelle amica & socia id confectum esse. Ad eundem modum, si quis coram inimico suo placide se gerat, eumque modestis verbis alloquitur, colligere possumus, lupinam eum rabiem, inimicitias, vindictæque cupiditatem deposuisse.

Croco-

Crocodylum veteres, velut inimicitiarum atque odii implacabilis symbolum, pingebant. atque hæc esse traditur ratio: quod, eum animal hoc dentes habeat acutissimos, & fauces quibus integros deuoret homines, lingua tamen careat. Leo quidem rugit, serpens sibilat, lupus ululat, crocodilus tamen omnes crudelitate superat. Hinc efficere volo, inimicum qui clinguis sit, non loquatur, non obuium alium saluet, omnium inimicorum deterrimum & pestilentissimum esse, ac verum crocodylum dici posse. Quam obrem, o serpentes, viperæ, & noui crocodili, o corda iram ferentia, vindictamq; spirantia, ferro quoque & ære duriora, *dimittite, & demittimini.*

Agite igitur Christiani, caritatem induite, misericordiam exercete, crudelitatem animo deponite, placidos vos & benignos exhibere: de aliis temere nolite iudicare, iniurias condonate, inimicos diligite, & quidquid in vos ynquam admissum est, obliuionis tumulo inferte. Ille vehemens ac noxius ignis dicendus est, qui non modo quæ proxima sunt, sed & remota absumit & inuadit. Sic & ardens amor ille vocari debet, qui igne amicitia Christianæ, non amicos modo, qui nostris moribus & affectibus proximi sunt, sed etiam inimicos, a quibus nimium quantum remoti sumus, incendit. Omnes igitur pari amore complectamini, ac neminem odio prosequamini, atque ita omnes sanctæ misericordia partes expleueritis.

Tu vero o æterne Deus, hanc nobis virtutem elargire, quam tanto te enixius cõtendimus, quod ipse eiusdem auctor & fons sis. Atque huiusmodi modo sunt tempora, vt in solo cœlo eadem habitare, à terra autem exulare videatur: tu autem, quibus visum fuerit, quiq; se eadem dignos reddunt, eam communices. Obsecramus igitur omnes, vt eam nobis concedas, omnem barbariem crudelitatemque, furorem & iram, passionem illas tartareas, animarum tyrannos & carnifices eradicans: vt nimirum odio & vindicta seposita atque omnem sanguinolentiam exosi, iniurias remittamus, inimicos complectamur, omnemque offensam obli-

uionis tumulo condamus. Hæc scilicet sunt, quæ in misericordia schola docentur, misericordia inquam, virtutis illius regia, quæ homines Deo simillimos reddit, rectaque eos ad æternam beatitudinem ducit, ad quam perducere nos dignetur qui trinus in personis & vnus in substantia est D E V S. Amen.

## DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

Partitio.

- I. De ingrati animi vitio.
- II. Cœna cur magna dicta?
- III. De vitio excusationis.
- IV. De ematore bouum.
- V. De uxorato quid statuen dum.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. LUC. 14.

FIGVRA.

Potens ille Perfarum rex Assuerus, qui *Esth. 1.* centum & viginti prouinciis ab India usque ad Æthiopiam dominabatur, tertio regni sui anno lautissimum satrapis suis & optimatibus parauit conuiuium. Ita post primum legis naturalis, & secundum legis Moisaicæ annum euolutum, & tertio Legis Evangelicæ inchoato, regum Rex Christus tandem appulit, velut in tertio imperii sui anno, omnes mundi incolas, ad solenne beatitudinis epulum inuitaturus. Sub parabola cuiusdam eximia inuolucris primam inuitationem videre mihi videor, quam vobis hac concione proponere deereui, si Spiritus sancti opem, & Deiparæ Virginis suffragiū postulauerimus, Angelicam salutationem eidem offerentes.

AVE MARIA.

Virtute & sanguinis nobilitate illustris I. Bernardus, natione Gallus, Ecclesiæque Doctor eximius, de ingratitude sermonem instituens, dicere solebat, nullum hac dati peccatum

ser. 2. de 7. misericor. Ingratitatum